



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis, De Varietate//
librorum, siue de Amore cœlestis// patriæ libri. III. ...**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 231

III Quod antequa[m] sancti ad futura[m] perueniant beatitudine[m],
perfecte Deum videre no[n] possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29814

Quod anteq̄ Sancti ad futuram perue-
niant beatitudinem, perfecte Deum videre
non possint. Caput .III.

Prosp. **I**N illa beata vita quæ futura est, Deum sicuti est p-
fecte videbunt sancti, vbi & ipsi erunt vitæ æter-
næ ac regni cælestis cōsecutione perfecti. Cæterū
si hic perfecte potuisset substātiā Dei humana fra-
gilitas contemplari, nunquam sanctus Euangelista
ioan. 6. dixisset: Deum nemo vidit vnq̄: non dixit, nemo vi-
debit. Deniq; vt euidenter ostēderet visionē Dei nō
negatam sanctis hominibus, sed dilatam quod in p-
senti tempore negauit, in futuro promisit dicens: Be-
Mat. 5. ati mundo corde, quoniā ipsi Deum videbunt. nec
hic dixit, quoniam ipsi Deum vidēt. Igitur Deus, qui
in hac vita sine alicuius elementi adsumptiōe nec po-
tuit videri nec potest, in futura vita videndus est. Ibi
est cōtemplationis diuinę sperāda perfectio, vbi erit
bonorum omniū plenitudo. Et ideo cōtemplatiua
vita, in qua creatorem suum creatura intellectualis
ab omni peccato purgata, atq; ex omni parte sanata
visura est, à contemplando, id est, videndo nomen
accepit. Quod si ita est illa vita, vbi Deus vide-
ri potest, ipsa cōtemplatiua vita credenda est. In pre-
senti aut̄ vita miseris erroribusq; plenissima, Deum
videri sicuti est non posse, dubium nō est. Nec moue-
at quod hic quoq; à iustis antiquis visum legim⁹ De-
um, quia non est in hac humiliatiōe nostra sic visus,
sicut in illa claritate videndus est. Quandoquidem

LIBER PRIMVS.

in forma visibilis creaturæ, in qua pro dispensatiōe temporū, vbi voluit, & quibus voluit, iustis apparuit, nec potuit nec potest videri, sed poterit cum ad supernam patriam peregrinatio nostra peruenerit, & mortale nostrum immortalitas beata vestierit, atq; ad cōtemplationem diuinam, vel perceptionem celestium præmiorum, omnes vere fideles, fides ipsa, quæ hic futura credebantur, impleta perduxerit.

Quod hic per fidē potest, in futuro autē poterit Deus videri per speciē. Cap. III.

AIt enim sanctus Apostolus: Per fidem ambulamus, non per speciem. Fides ergo est per quam ambulatur, & species quæ videtur. Quia in hac vita vbi per fidem bene viuendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus. In futuro autem peruenientes ad speciem iam non erit quo vel vt proficiendo vltius ambulemus, sed ipsam speciem, ad quam per fidem spiritalem ambulamus, peruenimus, insatiabili delectatiōe videbimus. In quantum autem valet humana mens, quam suus creator ad suam fecit imaginē, studeat etiam hic intelligibiliter Deum videre per fidem, vt eum plenius videat cum peruenerit munere ipsius conditoris sui ad speciem.

In quanta claritate ab electis suis videbitur Deus in regno suo.

Caput . V.

Prosp.
2. Cor. 5.